...trus

...v.

Kuszewicz Sam. Casim. Elogium.

Ej. Applausus.

ELOGIVM

Illustrissimo & Reuerendissimo Dño,

D. PETRO GĘMBICKI

EPISCOPO CRAC:

Senatori de Ecclesia & Repub. optimè merito, Academiæ Cancellario, Duci Seueriæ Auspicatissimè Cathedram suam ingredienti.

A

M. SAMVELE CASIMIRO KVSZEWICZ Collega Minore, Seniore Contuber. Hierosolymitani,

Magno affectu, ingenio licet impari.

Inter tot faustas gratulantium apprecationes

CONSECRATVM.

CRACOVIÆ,
In Officina Christophori Schedelij, S. R. M. Typogr.
Anno Domini, 1643.

In Faſciam Illuſtriſsimi Gentilitiam.



Inter cæleſtes ſpectatur Circulus ignes
(Magni clara Iouis lumine Zona micans)
Circulus in terris perfectior anteit omnes
Et ſuperat formas. vanus an augur ego?
Antiſtes virtute ſuâ ſuper eminet vnus
In terris: tandem lux erit alma polo.

ELOGIVM.

QVod felix, faustum, fortunatumq; sit, Antistes Illustrissime, iam die hodiernâ sublimem illum, in florentissima Diœcesi, ascendis honorem, qui pridem Tibi propter magnitudinem virtutis, & amplitudinem rerum à Te gestarum debebatur. Agnoscit id Ecclesia, quam nutantem, ac de sua salute multùm sollicitam, magnis Tuis laboribus & periculis sustentâsti, parum illud, etiam sustentatam lætitiâ incredibili perfudisti. Fatetur Respub. pro cuius libertate ardua quæque, non modò non infracto animo, sed sæpius etiam confirmato, atque renouato non dubitâsti subire. Videt, cum vniuersa Regnatrice Domo, Serenissimus VLADISLAVS IV. cuius negotia, fidei Tuæ toties commissa,

vt felici exitu terminares, nullis vnquam laboribus pepercisti. Testatur Academia, quam non in spem modò, sed in rem etiam meliorem tùm adduxisti, cùm magnis in vadis laborantem, ac propè demersam illius fortunam altiùs extuleris, & tranquillo placidoq; cursu iam ire feceris. Hinc Ecclesia solennem huius diei festiuitatem, ad consequentem ætatem consecrabit: Respublica nullo diè memoriam Tuorum meritorùm definiet: Serenissimus Rex propè diuinas virtutes Tuas fouebit: Academia annum, quo virtutibus Tuis debitum præmium accepisti, posteris commendabit. Narrabitur semper, quòd ad ingenium Tuum, tanquam ad exemplar virtutis, Sacrorum Administros componi volueris; ne vitij turpitudine totum Ecclesiæ corpus, tanquam peste quâdam, inficeretur. Dicetur semper, quòd neque in consilijs de Bono communi capiendis, Tuam diligentiam, neque in sententia referenda fidem, nec in perferendo labore industriam in Te Respubl. desiderauerit aliquando. Ibit vltra Balthicum ac Euxinum mare, vltra Tanaim

& Bo-

& Boryſthenem, admirabilis quædam, & incredibilis, ac penè diuina Tua in legibus interpretandis, in æquitate explicanda ſcientia. Semper Tuam Conſiliorum vim, rerum illam Dominam prudentiam, in libertate tuenda curam, atque vigilantiam, Nobilliſsimorum Ordinum fama celebrabit. Enimuerò me quoq; conuenienter facturum exiſtimaui perſonæ meæ, accommodatè ſolenni huius diei feſtiuitati, non ingratè bonorum expectationi, ſi meritorum Tuorum amplitudinem ſtrictim, ac modicè perſequerer, Atque hodie quidem in hoc dicendi genere ita me geram, vt zelum primùm Diuini cultûs propagandi, deinde prudentiam, ac tùm verò amorem charitatemque in Patriam, inconditâ ac rudi voce meâ exprimam. Quibus Tu virtutibus ita excellens, & mirabilis viuis, vt non domi modò, ſed apud exteros etiam, non tacito conſenſu, ſed apertâ omnium voce, ſempiternæ memoriæ commenderis. Et quomodo, quæſo, non commendetur ad conſequentem ætatem ab omnibus ille, qui ex ea gente prognatus eſt, ex qua, viri a-

lij alijs ita non desinunt succrescere, vt vna sufficere posse & Reipub. & Ecclesiæ videatur. Iactent nunc penè insolentiùs Romani Marcellorum prosapiam, quæ tres vno eodemque tempore habuit Senatores: qui Romanæ libertati, & tranquillitati hostium spem insidiantem represserunt, & inciderunt. Glorientur Fabiorum gente, quæ trecentos simul Ciues Reipublicæ dedit: qui laudis auari, mortis contemptores, animas à corporibus dimittendo, libertatem Patriæ reliquerunt. Vniuersa insuper Polonia nostra, Nobilissimas quasque domus ad posteritatem commendet; nihil in illis tam insigne, tam eximium, reperiri potest, quod nos in Illustrissima Familia GEMBICIORVM requireremus. Hæc est, ex qua prodijt Magnus ille Laurentius GEMBICKI, qui ætatis suæ spatium virtutum magnitudine, annorum numerum meritorum amplitudine superauit, vt cùm nominis immortalitati satis vixerit, non satis Ecclesiæ, parum Reipublicæ vixisse videretur. Iuit ille per omnes honorum gradus, & grauissimis Reipub. temporibus, comi & affabili

bili

bili ſermone militares motus compoſuit, geſtiſque magnis Magiſtratibus, in ſummo faſtigio honoris poſitus, hoc apud omnem poſteritatem meruit, vt eius virtutem, & ex virtute laudem venturis ſæculis commendemus. Hæc eſt, ex qua prodijt Illuſtriſsimus Andreas GEMBICKI, Luceorienſis Epiſcopus, cuius animus eâ diuinitate præditus eſt, vt in eo, tanquam in ſpeculo quodam, virtutum omnium ornamenta appareant, cæteriq́ue Atiſtites ea ſine inuidia ſuſpicere, cum beneuolentia amare, cum veritate laudare debeāt. Ille, inquam, Illuſtriſſimus Andreas GEMBICKI, qui in magna totius Academiæ trepidatione, cùm actum de literaria immunitate, conclamatum de nobis videretur, ſe, quaſi pacis & felicitatis Academicæ vadem ac ſponſorem, interpoſuit. Hæc eſt, ex qua prodijt Illuſtriſsimus Palatinus Lanciciæ: in quo grauitatem cum felicitate, Maieſtatem cum modeſtia, dignitatem cum ſimplicitate coniunctam, ſuſpicimus vniuerſi. Tanta profectò in eo virtutum omnium reperitur claritas, vt illum aſpernari nemo velit, tanta bonitas,

tas, vt odiſſe nemò poſsit. Hæc eſt, ex qua prodijt Reuerendiſsimus Ioannes GEMBICKI, Præpoſitus Miechouienſis, qui in partem ſolicitudinis Tuæ, Antiſtes Illuſtriſsime, vocatus, nullius periculi terrore, non vano metu, non inanibus minis, de gradu magnanimitatis potuit vnquam dimoueri. Qui honorificam in Rep. & Eccleſia ſtationem, in qua illum opinio quædam inſignium virtutum collocauit, non niſi cum vita exiſtimat relinquendam. Hæc eſt, quę in numeros ferè alios ſuppeditauit, qui virtutibus ſuis, quaſi alis ſublimibus, in altiſsimos prouecti honores, ita ſenſim in animos irrepſerunt omnium, vt eos in oculis tota Reſpub. ferat, in delicijs Rex Sereniſsimus habeat vniuerſos. Quanquam non eſt mea mens eos ſigillatim percurrere, quorum virtutes in immortalitatis templo iam deſcriptas, nulla ingenia ſatis vnquam exprimere poterunt, aut admirari. Itaque ad inſtitutum Orationis meæ accedo, & Zelum in propagando cæleſti cultu, quem vitæ Tuæ, Antiſtes Illuſtriſsime, voluiſti eſſe fundamentum, meæ fundamentum conſti-

ſtituam Orationis. Verè enim ille es, quem, ita Diuini cultûs propagandi ſtudio inflammatum cognouimus, vt vna Religionis Orthodoxæ in Tuo animo cura, curas cæteras aut poſt poſuiſſe, aut amouiſſe omnino videbatur. Tu, in Sacroſanctis huius Prouinciæ Concilijs ſollicitè operam impendebas, ne impij aliquando ea, quæ Maiores noſtri Religionibus nobis tuta, & Sancta eſſe voluerunt, contra Religionem Orthodoxam labefactent. Tu, in florentiſsimo illo Regni Areopago, viros Religioſos, magnis difficultatibus affectos, atq; afflictos partim in fidem Tuam ſuſcepiſti, partim illæſos conſeruâſti; partim implorantes iura immunitatum ornâſti; vt optimo iure Sacrorum virorum delicium merueris appellari. Tu, in florentiſsima hac Diœceſi, à morte aliquot Præſulum, tam feliciter adminiſtrationem ſuſtinuiſti, vt vim & iniuriam à rebus Eccleſiæ prohiberes: Orthodoxæ fidei puritatem, ſtatui Clericali honeſtatem, Eccleſiæ immunitatem conſtitueres. Agedum autem, cùm in Nobiliſsimam Præmiſlienſem Eccleſiam intrâſti,

quid aggressus es, quid aliud perfecisti primò quàm vt Religio depressa erigeretur, derelicta resumeretur & in suas sedes postliminio reduceretur? Insurgebant vndiq; illi, qui suo Sanctissimi Spiritus Maiestatem cerebro metiuntur; sed inter hos omnes Tuæ curæ & cogitationes peruigilabant, vt populos illos eiusdem Sacro Religionis vinculo deuinceres. Detonabant illi, qui in eodem turibulo ignem Sacrum & Prophanum imponere non verentur; sed in eorũ conatu reprimendo, vigilantia Tua vsque adeò omnem laudem occupauerat, vt nemo vnquam non dico superauisse, sed nec par Tibi fuisse videretur. Ita in densissima quadam status, reique penè desperatæ caligine, lucem nouam Orthodoxis exoriri fecisti, eorum salutem, atque vitam Tua beneuolẽtiâ, præsidio, custodiâque texisti felicissimè. Ita ostendisti, non deesse Romanæ Ecclesiæ, quæ Magistra orbis est, Antistites, qui pastoritiâ vigilantiâ superbam audaciam eorum, qui à verò dogmate deuij, & alieni sunt, reprimerent. Gestiebat Tuo tanto Religionis amplificandæ ardo-

ardore Præmiſlia: voluptatem ſenſu quodam ædes ſacræ percipiebant: Vniuerſa Ruſsia, quem admirari Antiſtitem ſuum tantùm poterat, totum tamen conabatur amplecti. Vides, Antiſtes Illuſtriſsime, latiſsimum hoc loco mihi ad dicendum aperiri campum, ſed nolo hîc prolixâ oratione de tam incredibili Tuo erga Religionem affectu diſſerere: & nunc quoque ad prudentiam Tuam declarandam accedo. Non dicamus uerò, quòd in ætatis Tuæ imbecillitate, quâ pleriq́ue prætexunt otij cupiditatem, partim domi, partim in Italia, in illo feracissimo eruditionis & ſapientiæ fonte, eas vel maximè ſcientias Tibi comparare volueris, quæ eſſent multis aliquando profuturæ: Tacemus, neminem eſſe, qui Te de rebus grauiſsimis diſſerente, non ſileat: qui & vim in inueniendo, & acumen in iudicando, & copiam ſuauem, cum ſumma grauitate coniunctam in dicendo non admiretur. Miſſum faciamus, quòd Te Illuſtriſsimus Patruus Tuus, non modò ſibi præſentem habere, ſed etiam curarum ſuarum ſocium, & adiutorem adiungere

gere voluerit; cùm vidiſſet, ipſos etiam caſus euentusque rerum, non duces, ſed comites conſiliorum Tuorum fuiſſe. Sileamus, quòd ad Paulum V. Supremum Eccleſiæ Catholicæ arbitrum, miſſus omnia & conſilio rexeris, & integritate tuitus ſis, & virtute confeceris, vt ciuium huius Regni pectoribus infixus, nouo quotidie deſiderio efflores ceres animorum. Illam ſuſpiciamus excelſam mentem, illud firmum iudicium, illam erectam in omnem partem prouidentiam, illam circumſpectam induſtriam, quam in conſpectu Sereniſsimorum Regum, & Imperatorum oſtendiſti non ad exigui temporis prædicationem, ſed ad memoriam poſteritatis ſempiternam. Sileant interim alij Magiſtratus, & inprimis Maioris Secretarij munus, egregiam, & ſinglarem prudentiam Tuam ad omnem poſteritatem (quæ incorruptiùs, & ſine affèctu iudicabit) commendet glorioſè. Quid dicet? Te non fortuito Ciuium conſenſu, non inſperato aliquo fauoris euentu, aut inconſulto aliquo & ſubito animorum impetu, ſed inſigni prudentiâ, variâ

inti-

intimâque doctrinâ, eam in Repub. adijſſe dignitatem. In hac autem nihil ita fuiſſe arcanum, quod Tu non penetrares; nihil accidere potuiſſe, quin ipſe ſagaciſsimo ingenio præuideres, & prudentiſsimè de eo ſtatueres. Ita perſpicax eras, ita omnium inſidiarum tenebras diſcutiebas, ita conſiliorum arcanorum caligines euoluebas, vt nec plura à Te ſperari, nec faciliùs ſpei omnium Ciuium reſponderi poterat. Quanquam quid in munere Secretari Tuam prudentiam admiror, quam in maioribus Magiſtratibus omnis loquetur poſteritas, & inuſitatis laudibus cumulabit? Opus eſt autem, Antiſtes Illuſtriſsime, vt ſi agnoſcere prudentiam hanc Tuam velimus, intueamur paulisper Germaniam, olim ſanè cæterarum rerum florentiſsimam, vna in re pauló minùs felicem, quæ ambulatoriam illam Religionem, cupidiſsimè amplexa fuerit. Ponamus nobis ante oculos Rebellium exercitum in funeribus Germaniæ, in cineribus & fauilla Imperij Romani tripudiantem. Reuocemus nobis in memoriam Septemtrionalem illam peſtem, ſuperba

 con-

contentione, ad immodeſtum illud Europæ Imperium, niſi ſuperi immani voto deſint, graſſantem, atque innitentem. Conſideremus etiam Ferdinandum Secundum, laceſſantibus vltionem repoſuiſſe; ne forte vis incendij altiſſimè patens, lateque diffuſa, cuncta pariter vaſtaret, eademque inſigni clade vicinæ regiones abſumerentur. Conijcebantur iam ab vtraq; parte infeſtæ illæ, ac funeſtæ faces in pulcherrimas domos, infantium ploratu, mulierum ingenti lamentatione, terribili exercituum clamore, omnia perſonabant. Quid ergo? ſuâ intereſſe Rex noſter, gentium Arbiter, & publicæ ſecuritatis vindex, VLADISLAVS IV. arbitratus eſt, dum vicina omnia hoſtili flammâ relucerent, vt, tempeſtiuâ celeritate, deflagrationis impetus reſtingueretur. Sed quali tandem viro opus fuit, qui peſtem illam in venis & viſceribus Germaniæ incluſam, authoritate tanti Regis in perpetuum comprimeret? odio, inimicitiâque flagrantes coniungeret? furentes mitigaret? Profectò tali, cuius virtus omnibus armis odijſque maior eſſet, qui ſuâ dexteritate diſ-

dissipata componeret, suo consilio iacentia erigeret, suâ prudentiâ oppressa restauraret. Neque verò Regi prudentissimo, inter multos felicis solertiæ viros, diu quærendus erat, quem consiliorum suorum interpretem designaret; sed legendus eras, qui non ex muneris magnitudine decus Tibi expeteres, sed ipse muneri cumulatissimè adferres. Iuisti itaque Optimi Regis gratiosus, canâ & graui consiliorum maturitate insignis, iudicio acri & recto, animo ad omnia summa parato, sermone facundus Orator. Cùm verò dicendi potestas facta, disertè & copiosè egisti: miserari Serenissimum Regem tantarum cladium, vtrinq; datarum & acceptarum: proinde, quæ pietas principis Christiani sit, optare se, vt ex diuturna calamitate Germania in antiquum decus, restitueretur. Obsecrâsti Cæsaream Maiestatem, vellet afflictæ Germaniæ munus pacis indulgere, honestas communis otij leges non abnuere. Satis sibi gloriæ partum cogitaret: nec Cæsare dignum esse à prostrato triumphos petere: honestum semper bellorum fore occa-

sum

ſum reputaret, ſi idem veniæ locus eſſet, qui fuerat offenſæ. Conſideraret, habere in ſe bella, cùm alia plurima mala, tùm illud inprimis, quòd infinitam aperiat graſſandi licentiam: periculoſum eſſe iraſci, tam publico vitio, tutiuſq; ſemper eſſe ſuffundere ſanguinem, quàm effundere. His Conſilijs tales dicendi neruos adhibuiſti; vt Cæſareæ Maieſtatis animum, diuturnis hoſtium offenſionibus exulceratum, ſuauitate orationis lenires, mitigares, & propè exarmares. Et hæc Tua feliciter agendi cum potentiſsimo Principe dexteritas, ita inſederat in animo eius, vt ſæpiùs prædicaret Tuam incredibilem ſagacitatem, admirabilem induſtriam, diuinam propemodum perſuadendi facilitatem & felicitatem. Quo elogio tanti Imperatoris, nihil poteſt Tibi Illuſtrius eſſe ad famam, nihil Tuis iucundius ad domeſticam dignitatem, nihil elegantius ad hominum exiſtimationem. Quid? quòd non ſolùm Imperatorem Sacratiſsimum, ſed etiam duces belli, adijſti: vt non tantùm victricibus armis Ciues contra externos hoſtes defenderent, ſed etiam ſa-

luta-

lutaribus legibus ab internis diſcordijs conſeruarent: populi ſalutem, & Imperij fortunam non prælijs tantùm, ſed alijs longè rebus contineri Atq́ue vtinam tunc Tua prudentia conſiliumq́ue valuiſſet, iam hodie non ſolùm vſũ actum, ſed totam fabulam confectam videremus: homines tam acerbè, tamque crudeliter vexati & afflicti, liberi eſſent: Germania non tot duces & exercitus amiſiſſet. Sed quoniam reperiri neminem arbitror, qui non Tuam con ſiliorum, & iudicij grauitatem animaduertat, conſultò multa prætereo, & in his adhibeat modum Oratio, in quibus Tu modum non ſeruâſti. Non dico, quòd Procancellarius calamitoſorum hominum querelis ita ſine collega ſatiſfeceris, vt recedentes à Tuo conſpectu, calamitatis ſuæ meminiſſe ampliùs non viderentur. Fuit id ſummæ profectò prudentiæ. Non commemoro, quòd Cancellarius inter grauiſſimas illas, & non raro exorientes tempeſtates, affectuum diſsidentium æſtus inſigni moderatione compoſúeris. Quid fieri potuit à Te prudentius? Non recenſebo, quòd Academiæ hu-

ius libertatem conseruare, rei literariæ pacem, otium, securitatem præstare volueris. Quid solertius efficere vnquam potuisti? Non refero, nullam Te rem probandam suscepisse, quam non dilucidè demonstrares, nullam improbandam, quam non ex hominum opinione ita euelleres, vt ibi nihil cæteri auderent, vbi vel vnus esses. Tanta in Te vis ingenij, tantaque mentis acutissimæ subtilitas reperiebatur. Non commemoro, quòd difficultates, antequam orirentur, præuideres, & easdem summo iudicio dissolueres. Tam celeres ingenij habebas motus. Hoc ad sempiternam nominis Tui gloriam dico, nullum à Te consilium in publicis negotijs, vt Cancellarij prætermissum, nullam dexteritatem in periculis arcendis, vt Præsulis boni desideratam, nullam fidem & grauitatem, vt Ciuis boni requisitam fuisse. Audieras, Antistes Illustrissime, sapientissimos homines, sic de gloria statuere, eam verè gloriam esse, quæ maximorum in omne hominum genus meritorum commendatione, ad posterorum memoriam nomen nostrum propagaret.

ret. Cùm autem omnibus ita statuendum esse, sibi de omnibus, quòad eius fieri posset, benè merendum, tùm id multò magis ab illo expectari, æquum esse, qui illud diuinitus haberet, quo longè præclariùs, quàm cæteri, consulere rebus humanis posset. Verumtamen dum tantæ prudentiæ monumenta colligo, oberrant oculis insignia charitatis Tuæ in Patriam argumenta: quorum tanta est multitudo, vt in illis enumerandis Attica etiam diues eloquentia, non dico mea infantia facilè conticescat. Credo me intueri, Antistes Illustrissime, Borysthenem: puto me videre Prussiam: constituo me in littore Maris Balthici, & exercitum Sueticum circumspicio: penetro etiam cogitatione Nestrum, & crudelem Abassi Bassam, perpendo. Hæc sunt illa loca, in quibus singularem, & verè raram in Patriam caritatem reliquisti? Hæc sunt illa monumenta pietatis Tuæ, vbi virtus immortalitatem Tibi conciliare videtur. Obtulisti ad Borysthenem animum Tuum, ad fortunam vtramque sustinendam non imparatum, vt non

tam Tuis commoditatibus quàm Reipub. & Ciuium necessitatibus seruire videreris. Fuisti non tantùm spectator & testis periculorum, sed etiam socius & particeps, quæ ab hoste expectandæ erant, & temporis incommoditate, aduersitatum. Non te prærupta montium, non vligines conuallium, non fluminum incrementa, non hyemes nocituræ abduxerunt, quo minùs Te, & Fratrem Tuum, pro Patriæ incolumitate, in ardentes globos offerres; de periculo certo parum admodum sollicitus, modò iustissimam Reipub. causam Tuis laboribus assereres. Neque solùm Te cum Fratre pro Patria in apertum obtulisti periculum, sed Nepotes etiam duxisti Tecum, vt eadam familia totam se paratiùs, quasi victimam pro Repub. in mucrones hostium proijceret, vt rebus communiter gestis, penè simul Tecum amplissimis honoribus fruerentur. Olim cùm Italiam Galli Senones inuasissent, cùm totius belli impetus ad Romanorum mænia constitisset, extiterunt Manlij Camilliq́ue, qui Patriam ab eorum crudelitate ita vindicârunt, vt eorum

ipso-

ipſorum ſanguine redundaret. Cùm Annibal, Italiæ fulmen, penè vltimum imperio vulnus, attuliſſet, reperti ſunt Scipiones, Fabricij, Marcelli, qui Annibalem vinci poſſe docuerunt, & vicerunt. Sed & Vos, Illuſtriſsimi GEMBICII, eorum fortitudinem, conſilio Magni huius Antiſtitis, ita imitati eſtis, vt quanquam nullis auitæ gloriæ monumentis niteremini, veſtrâ vos virtute tamen ad ſummam amplitudinem nominis, omnes exiſtimarent peruenturos. Illi Moſchi, illi rebelles, Diuinæ humanæq; Maieſtatis rei, cùm nuper armis & bellico apparatu inſtructiſsimi, in fines noſtros ſeſe effudiſſent, oſtendiſtis, non deeſſe Reipublicæ noſtræ Ciues, qui omnia Ornamenta honoris, monimenta gloriæ, inſignia laudis in ſalute Reipub. defendenda condi, & collocari vellent. Oſtendiſtis Sereniſsimum Regem milites habere, qui omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatuſq; non ſolùm fortiter, ſed etiam libenter perferrent, & armati in hoſtium manum multitudinemq; ſe immittere non dubitarent. Sed omittam de vobis dicere, quorum magna dignitas

vel exinde accesſit, quòd à tanto Patruo campus vobos datus fuerit, in quo excurrere virtus veſtra cognoſcique poſſet: videamus iterum Illuſtriſsimum Antiſtitem noſtrum. Quid verò dicam, Antiſtes Illuſtriſsime, quòd in Pruſſia animum Tuum, in Rempub. inclinatiſsimum, ita oſtenderis, vt à Te maiorum omnium gloriam aut ſuperatam, aut certè æquatam eſſe, omnes ſint confeſsi. Delegerat Te Sereniſsimus Rex, cuius præſtanti & eximiæ virtuti, iam toties perſpectæ & exploratæ, ſpem ſuam, & patriæ vniuerſæ fata commendaret; Tu Principis iudicium virtute Tuâ confirmâſti, & Tuum laborem Pruſsiæ periculis ſubleuandis impertijſti. Intereras frequentiſsimè pactionibus illis, & fœderibus, & eorum, qui à parte hoſtili erant, mentes permouebas, ſpe atque animis inflatos duces, concitatum exercitum flectebas. Admonebas, vt eſſent memores religionis, non cõtrauenirent Sacramento, quo ſe Diuo Sigiſmundo III. obſtrinxiſſent quin potius, ſanarent offenſas officijs, componerent animos ad obſequium, ad reuerentiam, ad no-

xarum deprecationem. Quanta verò mihi ſeſe charitatis in Patriam monumenta aperient, ſi Tuos ad latus Sereniſsimi Regis, cùm contra exſectum illum Abaſsi Baſſam exercitum duceret, ſuſceptos anxios ancipitesq; labores perluſtrare velim? Nihil hìc non præclarum, nihil non ſublime & excelſum, nihil non magni, imò ter maximi cognomine digniſsimum reperiemus. Vt hoſtium caſtra feliciter aliquandò adoriretur, pugnâ non rudis Imperator, Diomedes, Vlyſſem cautum & prudentem, eius laudis ſibi adſciuit ſocium: cùm in bello auxilium & conſilium, mens & manus, animus & gladius requirantur. Ita Potentiſsimus Rex noſter, frangendis Turcarum machinationibus, Tuâ prudentiâ & conſilio vti volebat, vt ſcilicet eorum vis (ſi ad arma ventum fuiſſet) & fortitudine armorum comprimeretur, & cogitata nefaria, Tuis prudentiſsimis eluderentur conſilijs. Qua in re quanto ſtudio naturæ Tuæ conſuetudiniq; ſeruire voluiſti, teſtis eſt Sereniſsimus Rex, qui virtutem Tuam, & animi in Rempub. propenſionem extulit, cùm

re-

rerum à Te geſtarum, non ſolùm ſpectator, ſed æſtimator etiam & exornator fuerit. O Ciuem natum Reipub. memorem ſui nominis, imitatoremque maiorum! Quotus quiſq; inuenitur tam immortali virtute præditus vir, qui exemplo bonorum Ciuium, ſolius honeſtatis excellentiâ contentus, labores, & vitam ſuam in ſalute Reipub. collocauit? Qui in Patria ornanda ſolidam laudem, veramq; gloriam quęſierit. Illud facere pietatis: hoc ſentire prudentiæ, & ſentire verò, & facere perfectæ cumulatæque virtutis. Non eſt autem ingenij mei, Antiſtes Illuſtriſsime, non eſt huius iudicij, & iuuenilis eloquentiæ, omnes virtutes Tuas, & præclara in Rempub. merita non dico ornare dicendo, ſed enumerando percenſere. Et iam mihi (fatebor enim) accidit, vt quemadmodum qui oculorum aciem in ſolem intendunt, illius ſplendoris vim, & magnitudinem perferre non poſſunt: ita quamdiu in Tuarum laudum ſplendorem & lucem intueor, penitus mihi mentis aciem perſtringit. Quid ergo? vbi exultare Orationis facultate, & copiâ de-

be-

berem, numquid reticebo? Ad quem exitum Orationem meam perducam, mihi non constabit? Sed est Tuarum, Antistes Illustrissime, magnitudo virtutum, quæ vt omne ingenium & iudicium superat: ita omnem in dicendo vbertatem, omnem verborum copiam exarescere facit. Sed non possim amplius, appeller tardus, indisertus, atque non satis ab arte instructus, certè parum in Te, aut Tuo honore colendo officiosus appellari nolo. Quanquam ô vtinam aut hic omnes disertissimi Oratores, aut ipsa è sedibus suis excitata Nobilissima Cracouiensis Diœcesis adesset, & in hoc sui Antistitis, & uigilantissimi Pastoris conspectu consistens, aliquam sui vocem amoris aperiret. Ita diceret opinor: ô me felicem, ac beatam Diœcesim ô me fortunatissimā Ecclesiā! Quid est tandē, in quo mihi felicitatem maiorem à DEO Opt. Max. Summo illo cæli dominatore, precari debeam? Habeant aliæ Diœceses suos Antistites, hos omnes incredibili Religionis propagandæ studio vincit Antistes meus. Iactent aliæ prudentissimos quosque, & Excel-

lentiſsimis ingenijs Senatores, hos longo poſt ſe interuallo prudentiſsimus Antiſtes meus relinquit. Glorientur aliæ ſuorum Antiſtitum ſingulari in Patriam caritate; illæ tamen Antiſtitem meum admirari coguntur. Pro Religione & Deo impenſè ſemper ſollicitus fuit: egregiam & ſingularem in ſalute publica defendenda fidem & conſtantiam adhibuit: maturâ prudentiâ patriam maximis periculis liberauit: in Potentiſsimorum Principum animos graui & plenâ dignitatis dicendi facultate penetrauit. Extremum itaq; illud eſt, vt orem obteſterq; Te, qui omniũ eorum mentes, qui Eccleſiam, Sponſam Tuam gubernant, maximè perſpicis, vt Illuſtriſsimò Antiſtiti noſtro, cæleſtes mittas exercit9, qui ipſiius ſalutem tueâtur, & ab illo, quolibet momento omnem impetũ, atq; furorẽ propulſent. Vt Orthodoxa Religio, ex tot tantiſq; fluctibus & procellis Antiſtitis Noſtri pietate, in optimum & tranquillũ portam iam invecta, pace, cum immortali Illuſtriſsimi Antiſtitis gloria diutiſsimi perfruatur.

D I X I.

APPLAVSVS

Quos in auſpicatiſſimum

Jlluſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini,

D. PETRI GEMBICKI

EPISCOPI CRACOVIEN: Ducis Seueriæ, Academiæ Cancellarij Ampliſſimi.

AD CATHEDRALEM ECCLESIAM INGRESSVM.

Pleno debitæ obſeruantiæ ac deuotionis animo effudit.

M. SAMVEL CASIMIRVS KVSZEWICZ,
Collega Minor. Contub. Hieroſ. Senior.

In Faſciam Illuſtriſsimi Gentilitiam.



Inter cæleſtes ſpectatur Circulus ignes
(Magni clara Iouis lumine Zona micans)
Circulus in terris perfectior anteit omnes
Et ſuperat formas. vanus an augur ego?
Antiſtes virtute ſuâ ſuper eminet vnus
In terris: tandem lux erit alma polo.

APPLAVSVS.

VNde repentino fremuerunt viscera motu?
Cur tuba lætifico canit alta choreumata flatu?
Perq; vias cur plectra sonant? cur congrua votis
Gaudia patricios miscent popularia plausus?
Fallimur? Ingreditur faustis successibus vrbem
Cracigenûm Antistes, decus immortale Senatus:
Non facilè emineat, cui sese aut præferat alter
Religione, fide, meritis, & moribus æquis.
Sic vbi Memnonio roseus de gurgite Phœbus
Igniuomos educit equos, terrisq; reportat
Vix satis excusso rorantem lampada ponto,
Blanda serenati ridet clementia cœli:
Fallimur? En magni proceres, nec sanguinis ortu
Degeneres, Proauûm pulchro splendore corusci
GEMBICIA de gente, latus cinxêre frequentes
Præsulis, & longâ serie comitantur euntem.

 Haud

Haud secus Assyrius rediuiuo funere Phœnix
Auroræ ad populos veniens, cunabula secum
Fert humero, & quacunq; citis adremigat alis.
Indigenæ stipantur aues, per inania vectæ.
Fallimur? En surgunt iam pulso sæcula ferro
Aurea Cracigenis: ceu cûm Saturnus Olympo
Venit ab ætherio, fugiens scelerata furentis
Arma Iouis, duroq; homines è robore natos
Composuit, vitæ ducens melioris in vsus.
Fallimur? En Diuina phalanx secat àëra pennis,
Istuleamq; petens vrbem descendit ab alto
Militiæ cælestis honos, expletq; sùáui,
Nescio quâ, præter solitum, dulcedine mentes.
Crediderim Zephyrum tacito per prata susurro
Concusisse nouo fæcundas nectare pennas,
Et posito flatu nemus irrorâsse quietum.
Crediderim volucres, fidium dulcedine victas,
Oblitas toto meditatum tempore brumæ
Carmen, ad insuetos tenuisse silentia cantus.
Prospera lux oritur, melioribus edita fatis,
Quâ Superi pleno cumulârunt nostra fauore
Gaudia, successusque nouos successibus addunt.
Plaudite, Lechiadę, Berecinthia sistra per auras

Atq;

Atq́; Cythoriaci crispata foramina Buxi
Festiuo hoc geminēt resonantia gaudia cantu.
Cracigenûm Sacras, Præsul, conscende Curules:
Quò laudum se tollit apex: Tu gente vetustâ
Progenitus, referes Proauos Atauosq; potentes.
Quis locus est Patriæ? patriisquæ dissita tectis
Est adeo regio? quò non penetrauerit ingens
Gentis Honos vestræ? De qua tot fulmina belli,
Tot fomenta togæ, tot splendida sydera miris
Emicuêre modis, quot vernâ Delius aurâ
Spargitur in radios, vbi formosissimus annum
Explicat, aurifluisq́; rigat splendoribus orbem.
Aut quot ceruleæ gremium conspergere Matris
Hesper amat facibus, cùm Sol concesserit astris,
Cùm Phœbe bifidæ scintillans lumine frontis
Vrget iter curruq́; volans dat lora secundo,
Et stellas radiis longè inter fulgurat omnes.
Hinc olim prodijt Magnus Laurentius, ille
Sarmatiæ Princeps, quo Gnesna vetusta superbit,
Flos veterum, virtusq́; virûm. Qui iurgia plebis,
Euitare sagax facili sermone mederi,
Ciuilesq́; minas poterat componere dictis.
Haud aliter tumidum cùm surgere Nerea cernit

Naui-

Nauita, & Æoliis turgescunt æquora flabris,
Iamq́; ratim subeunt fluctus, ille impiger Arcton
Parrhasiam cernit, fallens ludibria ponti.
Hinc etiam veterum titulis illustris Auorum
Andreas faustè venit, quo Præsule in vno
Volhyniæ stat tuta salus, nec fœda triumphant
Schismata, sanguineis nunquam sacitata fluentis.
Hoc duce Barbaries omnis, doctisq́; fugatus
Exulat error agris, ætasq́; diserta patentem
Ingeniis aperit campum, Musisq́; decorem
Aonij celso deductis vertice montis
Restituit reparatq́; artes meliore metallo.
Nam, velut immensas lampas Phœbeia terras
Illustrat pariterq́; fouet, lumenq́; coruscum
Vtilitate probat: titulis illustribus addit
Doctrinæ monumenta suæ: quas diligit artes
Ipse fouet sociatq́; suis, tot commoda curis.
Hos alter sequitur, (cuius Miechouia fasces
Agnoscit,) pulchrum fidei, virtutis auitæ
Exemplum: vitæ decus, atq; imitamen honestæ.
Per varias ijt ille plagas, studijq́; labores
Emensus, claro in Patria resplendet honore,
Illustrique volat celebri super æthera famâ
non

Non tam sparsa gerens venerandis tempora canis
Quàm matura animi canus virtute sagacis
Quî memorē Magnū (quo prisca Lęcicia gaudet)
Ritè Palatinum ? cuius prudentia magnis
In patria claret rebus, multosq́; per annos
Non alto simulata gradu, non improba gestu,
Sed clara ingenio, & magnis virtutibus aucta
Nobilitas spectata viget, semperq́; per vrbes
Ibit, & hunc meruit generosum pectus honorem.
Quî memorem Natos ? qui clarâ luce refulgent,
Sicut in Occiduo rutili splendore Triones
Nocte micant purâ Cæli inter signa sereni
Tarda Lycaonius quâ versat plaustra Bootes.
Pro templis Arisq́; sacris, hos Moschua nuper
Vidit & obstupuit. Veluti Massylus in aruis
Stat Leo firmatus, densisq́; horrentia villis
Colla quatit, nixusq́; solùm cauat vnguibus, & quā
Nescit adhuc, prædę impatiēs tamē ardet amore
Magna Palatini soboles sic laudis auitæ
Exuperare modum, magnâq́; cupidine fertur
Bella sequi. Rutilos Clypei septemplicis Orbes
Crispatasq́; iubas video: filoq́; trilici
Loricam intextam, ferroq́; hostile minaci
Tutamen Patriæ, Dignè quis carmina toti

Sufficiat Generi? Non si Phocæa canoris
Stagna refusa vadis penitus Latoia pandat
Progenies, connixa humeris: & sicca perenni
Irriget vndarum facilis præcordia lapsu,
Exæquata pijs modulentur plectra Dynastis,
Prospera lux oritur melioribus edita fatis:
Quâ superi pleno cumulârunt nostra fauore
Gaudia, succesusque nouos successibus addunt.
Plaudite, Lechiadæ, Berecinthia sistra per auras
Atq; Cithoriaci crispata foramina Buxi
Festiuo hoc geminent resonantia gaudia cantu.
Cracigenûm sacras, Præsul, conscende Curules:
Te rogat altus honos. Tu primo in limine vitæ
Inuigilas studijs, studijs Te inuoluis, & ardes,
Omnia vestigans rerum cognoscere causas,
Quæque oculos fugiunt celeri percurrere mente.
Tu vigili excitus studio, gratoque labore
Dulciter allectus, veterum monumenta virorum
Et sapientum artes, doctrinarũque reperta.
Excutis atque opibus mentem melioribus ornas.
Sic volucrum princeps oculis nutantibus ales,
Non patiens corpus claudi caligine, postquam
Mole suâ testæ signata repagula fregit
Sponte suâ Eoos se se conuertit ad ortus.

At

At postquam teneræ flauentia signa iuuentæ
Irrepsêre genis, & festinata serenè
Vmbra cadit, genitale solum, terrasq; Polonas
Despicis. Auspicio fausto transgressus at Alpes,
Vndiuagos cernis Venetos, atque Appula rura
Et sedes Pataui, Magniq; Antenoris arces
Expendis seriò: sacras diffusa per artes
(O rarum seræq; decus memorabile famæ)
Irrequieta Tuos virtus exsuscitat ignes.
Quippe velut viridis nemorũ noua gloria, palma.
Fertilis irrigo quam profert vbere tellus
Sol firmat, flabrisque fouent clèmentibus auræ
Tollit se cælo, & speratæ prodiga frugis
Brachia decliuis fructus cum floribus æquat:
Sic (liceat nam Te palmæ componere) lætis
Auctibus assurgis, &, quæ via proxima cælo,
Virtutum omnigeno variarum flore renides.
Sed reliquas inter dotes, & quæ Tibi largâ
Munera Dij tribuêre manu, pars maximæ tantæ
Laudis erat, mores niuei, blandusque serenæ
Frõtis honos, tacitusq; pudor: tùm parca loquelæ
Temperies, æquo cunctis se fœdere iungens.
Talibus at postquam benè confirmatus adîsti
Antiquas Latij sedes, claramq; subîsti

SemiDeûm Patriam, ac Tyberini fluminis vndas
Et campos. vbi sancta Tibi delubra patescunt
Astrææque fores, cùm summa edicta Tonantis,
Pontificum Sacras leges, Responsa Quiritum
Perlustras toties, varijs perplexa Meandris.
Sic Leo, Marmaricis quem nutrijt Africa syluis
Cum, linquēs propriū, catulis comitātibus, antrū
Exit, in accessos quouis sub climate colles
Permeat, &, læthi contemptor, opaca ferarum
Perlustrat vigilans, prædæque ferociter instat.
Sed iam maiorum subeunt molimina rerum,
Immensumq́; aperitur opus. Nam sydere dextro
Externis veniens tandem peregrinus ab oris,
Vibrâsti rutilum rediuiuo lumine fulgur
Illustrans natale solum. Sic mane recenti
Exoriens radiat rubicundo è gurgite Phœbus,
Dum stringit Geticū radijs flammantibus Hæmū;
Igniuomâsq́; rotas solito rutilantior vrgens
Fert lucem meliore comâ, flammamq́; vomentes
Clarior aurifluo iungit temone iugales.
Hospite Te subitò lætata Polonia tanto,
Expansis reduci procedit in oscula palmis,
Gaudia mutato prodens non parua colore
Acceleratq́; oculos sacro defigere vultu.

Ante

Ante alios omnes prensat Te Patruus: vnum
Suspicit in dubijs rebus tutamen, & arctis,
Admittens socium curæ, sociumque laboris;
Non generis certè communia vincula spectans
Sed mores animi niueos, cultumq; per artes
Ingenium, doctosque sales, fandiq; lepores.
Haud aliter fessus cùm iam subduxit olympo
Brachia, & effætis tremuit ceruicibus Atlas,
Maximus Alcides humeris nutantia fulsit
Pondera, nec cæli securiùs alta pependit
Machina, nec tremulos expauit Iuppiter axes.
O quantùm lætata suas Ecclesia lites
Obuenisse Tibi: quantùm Tua iura probauit
Edita cùm summam ferrent edicta quietem
Hic vbi Lublini ingressus delubra Sacerdos
Iura fori ratione geris, litesque malorum,
Tam certâ integrâque fide quàm fixus in agris
Terminus immoto, dirimis, confinia saxo.
Ac veluti in mediæ seruatus tempora brumæ
Flosculus, exacti reuocat noua gaudia veris:
Sic priscum Sanctis renouabas moribus æuum,
Fædaq; vitabas impuri crimina secli:
Magnanimus cùm pro sacris cultuque Deorum
Contemptaq; Tui pro Relligione Tonantis

Insurgis, veri ante alios seruantior omnes.
Hic nec parta quies: non istud cura cacumen
Obtinuit. viduata Tibi sacra munera mandat,
Cracia, nec durum sentiscit mœsta laborem
Postquam Pastores sæuo confixerat arcu
Mors fera, inhumanis non nescia ludere rebus.
Scilicet is fueras, animo qui fretus, & alto
Consilio stygias poteras frænare Phalangas:
Tardus & ad pœnam dubijs, idem acer apertis
Criminibus vindex, rigidus legumq; minister
Componis fluctus, tempestatesq; sonoras.
Qualiter æquoreis prudens Palinurus in vndis
Assidet intrepidus clauo, torquetq; carinam,
Et decimis subducit aquis: moderamine recto
Non aliter Tu res conuulso cardine lapsas
Vnus restituis. Sacræ reuerentia gliscit,
Legis, & antiquos, Clerus formatur in vsus.
Assistunt comites lateri. Purissima regnat
Relligio, spargensq; rosas Patientia vernas
Purpurat Astrææque soror Clementia bellè
Lilia natiuo violarum interserit auro.
Hanc Dea, cælestis violati Numinis vltrix
Magnanimum pectus loricâ accincta trilici
Fulmineum dextrâ gladium, læuaque bilancem

Æqua-

Æquali appendens trutinâ, comitatur euntem.
Tempora cana Fides ligat immortalibus herbis:
Nescia Spes curarum: & plenis Gratia riuis
Lætior: & placidam suadens Concordia pacem.
Atque verecundis suffusa ruboribus ora (nores.
Hinc Pudor, hinc Probitas, hinc Castæ mentis Ho-
Prospera lux oritur melioribus edita Fatis
Quâ Superi pleno cumulârunt nostra fauore
Gaudia, successusq́; nouos successibus augent.
Plaudite, Lechiadæ Berecÿthia sistra per auras
Atque Cithoriaci crispata foramina Buxi
Festiuo hoc geminent resonantia gaudia cantu.
Cracigenûm sacras, Præsul, conscende Curules
Auspicijs faustis: cuius Germania vocem.
Audiuit nuper, quando Legatus ab Orbe
Sarmatico, responsa dabas Cyllenius alter.
Quæ linguæ torrentis opes? Quo fulmine mentes
Attrahis? Attoniti quàm prona silentia Martis?
Siue triumphatos Ferdnandi Marte rebelles
Prosequeris dictis: seu Te Gustaue iacentem
Commemorans, hominum mentes & corda regebat
Tale fuit magnum, formidatumq́; Philippo,
Ambiguas in se quod traxit fulmen Athenas,
Et quem fœdifragus tremuit Catilina loquentem,
Et

Et plus Pompeio formidat Cæsar inermem.
Has etiam stupuit, non vltima gloria gentis
Austriacæ, Ferdnandus opes: nec digniùs vnquã
Austria belligeros meminit dixisse Polonos. (belũ
Magna loquor; sed vera tamen: quippe Ister an-
Continuit strepitum, veritus ne flumina, montes,
Et syluas doctæ traheret facundia linguæ:
Saxa mouere sono veluti testudinis olim
Dircæus potuit, Thebanæ conditor vrbis,
Duxit & auritum populum, quocunq; vocauit.
At postquam his sensim auspicijs Tua viuida fama
Cœperit excelso se tandem attollere cælo,
Inter bellorum strepitus, sonitusq; tubarum,
Iuisti, Proceres inter: velut æthere in alto
Nocturnos rutilans præcedit Lucifer ignes
Astrorumq; choros: tunc circumfusa sequuntur
Sydera, & à tanto lumen sibi lumine spondent.
Per Te Moscheæ restincta incendia flammæ:
Constrictus furor: & fracti cecidêre tumultus:
Parta quies agris: paci mansuescere corda
Moschorum incipiunt: & quamuis corde furentes
Atque reluctantes, verum se agnoscere cogis
Immanis veluti cù mbellua vincula portans
Ferrea, firma satis, quamuis fremit ore cruento

Et

Et crebro satagit confringere vincula morsu,
Perdurat ferrum tamen, & constricta tenetur
Bellua, lassatoq; interdum dente quiescit.
Prospera lux oritur melioribus edita fatis:
Quâ Superi pleno cumulârunt nostra fauore
Gaudia successusq; nouos successibus augent.
Plaudite, Lechiadæ, Berecīthia sistra per auras,
Atq; Cythoriaci crispata foramina Buxi
Festiuo hoc geminent resonantia gaudia cantu.
Cracigenum Sacras, Præsul, conscende Curules:
Te rogat altus Honos. Tibi sacra munera Ceræ
Commisit, primumq; togæ mandauit Honorem
Regis amor. quàm certa fides, quàm prouida cura
Aut Tua quæ fuerit claros spectata per actus
Sedulitas, sensit Princeps, sensêre Quirites.
Nullis occulitur virtus generosa tenebris,
Conspicuum fundens Pharos vt Nilotica lumen.
Difficilè iniectis ignem sopire fauillis,
Intus viua volans prodit Scintilla latentem,
Et sensim exortis vastat ramalia flammis.
Non taman aut placidos inuisa superbia mores
Aut crescens subuertit honos. Non gratia Regis,
Dissimilem facit esse sui: fastigia laudum
De primis obsequijs, & quantò maior haberis,

Officijs cupis esse minor: virtutibus ornas
Munera, dum plenis prostat Tua fama theatris
Æternum latura decus. Meruisse videmus
Te iam Sacrorum fasces: Præmistia Mitræ
Magna decus sacrosq; Pedi decernit honores
Lætitiâ præfusa nimis. Te pristina virtus
Authore, externæ ac pietas non indiga laudis
Sed censu contenta suo, seseque beata
Respirat syncera Fides, veterumq; Parentum
Dogmata de medijs tandem fulsêre procellis.
Taliter ambiguæ iam sub confinia lucis
Tithoni Croceo surgens aurora cubili
Purpurat orenitens, crinemq; repexa decoro
Pectine palantes toto fugat æthere stellas
Humentemq; polo noctis eliminat vmbram.
In Te perfectam virtutis sydera lucem
Semper monstrabãt, & stricto Fascia nodo
Signabat: Superi tantos populiq; nitores
Vidêre, & tanto Te dignabantur honore,
Formabantq; Tuis animos virtutibus omnes.
Non ita conuersi nauis moderamine claui
Flectitur, vt populi pendent à Præsule mores:
Non virgæ, legumq; minæ, tristesq; secures
Sic animos hominum terrent formidine pœnæ

Vt

Vt pulchræ virtutis honos, moresq́; modesti
Præsulis, innocuæ decus & reuerentia Mitræ
Conuertunt mentes ad honesta exempla sequaces.
Sed quid ego audaci coner comprendere versu
Ingenio maiora meo? suscepta relinquam;
Infirmæ ne deficiant sub pondere vires.
Nam priùs Herculei torrentia sydera monstri
Solstitio vicinæ domus, locaq́; edita cæli
Diffundent terris hyemem glacialibus Euris:
Ante & conspicui summo de cardine mundi
Flaua Lycaonio surget Pallantias axe,
Atque diem auerso subteruehet Auster Olympo,
Stabunt & cæli septem labentia signa
Quàm memorem dignè celeberrima Præsulis acta
Laudibus aut meritis tollã, aut æquem ipse canẽdo
Vt si quis iubare exorto Phæbeia demens
Ausit obire oculis ora, atque haurire videndo
Illicet ecce illi torpescunt lumina, & ipsa
Caligant in luce oculi: tum tempora circum
Offundit sese nubes, & fumida oberrans
Caligo, ac nigræ cælum eripuêre tenebræ.
Prospera lux oritur melioribus edita fatis
Quâ Superi pleno cumulârunt nostra fauore
Gaudia, successusq́; nouos successibus augent.

Plau-

Plaudite, Lechiadæ, Berecῦthia sistra per auras
Atque Cythoriaci crispata foramina Buxi
Festiuo hoc geminent resonantia gaudia cantu.
Cræcigenûm sacras, Præsul, conscende Curules
Quò laudum se tollit apex. Te publica poscunt
Vota vrbis, famulas Tibi porrigit obuius vlnas
Vandalus, aduentumq́; Tuum benè vertit olympus
Si locus at superest, inter si Numina tanta
Admittunt tenues communia gaudia Musas,
Versibus incultis Academi turba Camœnis
Dedita, Te studijs Patronum & pacis adorat
Authorem, populum probum, sedesque quietas
Exoptat, longos & cùm superaueris annos
Iam Tibi promissam super aurea sydera vitam:
Non tamen in celsum redeas nisi serus Olympum
Intersisque diu populo, quem moribus ornes,
Præceptis formata Tuis vt sanctior ætas
Surgat, & è ferro priscum mutetur in aurum.